

Articulus 4.

Valachi etiam universi, iuxta Articulum decimum quartum Poseniensem praesentis Anni, Domino Praelato Zagrabiensi decimas integre persolvant, iidemque Valachi Dominis suis terrestribus terragium sive Nonam praestent, illorumque Jurisdictioni sint subjecti.

Articulus 5.

Telonia sicca et nova aboleantur et deleantur ubique, potissimum autem in possessione Chehy in Campo et Comitatu Zagrabiensi existens, eo quod nulli pontes nullaeque viae ibidem extarent reficiendae. Similiter etiam in bonis Crapinensibus per Dominos Keglevych erecta.

Articulus 6.

Ad postulationem Camerae Hungaricae, per Dominum Banum propositam, eidem Camerae nomine Regni significandum, quod tempore conscriptionis et exactionis Dicae Regiae, Dicatore Georgio Mikulych existente, propter quasdam fraudes eius inquisitio fuit celebrata, et Schaedae plurimae fuerant inventae, ex quibus expilationes pecuniarum a bonis plurium Nobilium per eundem Mikulych perperam factae dignoscebantur, quae Nunciis eorum ad Diaetam Poseniensem Anno Millesimo Sexcentesimo primo missis, utpote Domino Balthasare Napuly et Egregio Stephano Beryzlawych traditae fuerant, a quibus eadem Camera per Decretum suum speciale easdem Schaedas sibi dari postulavit, cui etiam datae sunt: censent itaque Status ipsi hoc ipsum nomine Regni significandum esse et petendum, ut contra ipsum in exemplum aliorum animadverlat.

Articulus 7.

Ad petitionem Domini Comitis Thomae Erdödy, post restaurationem Castri Chasma, ad sequentem annum pro restaurando Castro Monozlo Domini Regnicolae auxilium se daturos obtulerunt.

Articulus 8.

Ratione vecturae Bombardarum et Victualium, Domini Regnicolae se referunt ad Articulum Anni proxime praeteriti, et haec omnia, sub paena iam antea prioribus annis sancita, fieri volunt.

Articulus 9.

Conqueruntur Domini Comites Erdödy et Zriny, similiter Nuncii Dominorum Bathiani et Istwanffy, ac reliqui Nobiles Campi Varasdinensis et Zagrabiensis, contra Cataphractus milites, sub potestate Dominorum Supremorum Capitaneorum Confiniorum Sclavoniensium et Carolostadiensium existentes, qui subditos ipsorum et Nobilitatem graviter opprimunt.